

apud Clementem intellego Pherecydem in uita Hippocratis p. 449, 4 W. memoratum *μνημονεύει δὲ τῆς γενεαλογίας αὐτοῦ Ἐρατοσθένους καὶ Φερεκύδης καὶ Ἀπολλόδοτος καὶ Ἄρειος ὁ Ταρσεύς*, quem non posse genealogum esse iam Vossius p. 483 sq. uidit, sed Eratosthene inferiorem fuisse probabiliter inde collegit, quod et apud biographum huic subiungatur et hic ipse duos tantum nouerit Pherecydas Syrium et Atheniensem. At de huius aetate quae habet Eusebius, non est quo erroris conuincere possimus. Solet enim eius memoria cum antiquorum testium Hesiodi Acusilai Hellanici aliorum auctoritate coniungi et quod potius est Ionica dialecto eum usum esse fragmenta tam luculenter probant, ut mireris Dionysium Halicarnassensem l. p. 8 d. scripsisse siquidem de Pherecyde scripsit, quae probabilis est Bergkii suspicio hist. litt. Graec. II p. 396, *οἱ τὴν ἀρχαίαν Ἀτθίδα προελάμβανον μικρὰς τινὰς ἔχουσαν διαφορὰς πρὸς τὴν Ἰάδα*. Atheniensi enim logographo licuit superiorum etiam dialectum sequi, siquidem non post medium quintum a. Ch. saeculum scripsit, ut ne hanc quidem ob causam Lero illum ortum putare necesse sit. Et Atheniensium laudibus fauentem maxime refert fragmentum illud 15, quo Telamon amicus non frater Pelei, sed Actaei et Glaucae filius fuisse perhibetur, ne uidelicet ab Aeacidis Aeginetis genus ducat. In genealogum igitur optime conuenire uideri potest, quod de Atheniensi tradit Suidas *ἔγραψεν Ἀυτόχθονας (ἔστι δὲ περὶ τῆς ἀρχαιολογίας τῆς Ἀττικῆς) ἐν βιβλίοις 1*: quamobrem genealogiis etiam Autochthonum nomen impositum uulgo existimant. At pauca eorum fragmentis de rebus Atticis exponi iam Sturzius p. 70 mirabatur atque aliud profecto monstrat unicum quod ex Autochthonibus adfertur fragmentum in Etymologico magno u. *βοηδρομιών*: quod Sylburgio a genealogo ita alienum esse uidebatur, ut Pherecratis nomen reponere mallet, nec multum abfuit quin et Sturzio (p. 61 sqq.) persuaderet et Muellero (p. 99 coll. p. XXXVI n. 3). Sed geminum nunc accessit ex scholiis Aristideis fragmentum 1 a, quod cum ne ipsum quidem genealogi posse esse perspexisset Muellerus, Antiocho potius tribuendum esse suspicabatur, cuius mentio cum Pherecydis coniungitur<sup>1)</sup>: sociata autem

1) Huius fragmenti si memor fuisset Hillerus Hermae u. XXI p. 133, non puto oblocuturum fuisse Muellero Antiochum fr. 101 citatum Syracusanum esse neganti.